Quelle: https://manuscripta.at/?ID=26274
Copyright: Admont, Benediktinerstift

Dicit in eodem libro quadragesimum esse annum usque ad tempus
quo et ipse scribebat librum. ex quo heresis kata phrygas ha-
buerit exordium. Tertullianus vi. voluminibus adversum
ecclesiam editis que scripsit de ekstasei. septimum proprie adver-
sum apollonium elaboravit. in quo omnia que ille arguit co-
natur defendere. Floruit autem apollonius sub comodo et
severo principibus. xli.

Serapion undecimo comodi imperatoris anno
antiochie episcopus ordinatus scripsit epistolam ad caricum
et ponticum de heresi montani. in qua et hoc addit. Ut
autem sciatis falsa huius dogmatis id est nove prophetie abomi-
nando insaniam reprobari. misi vobis apollinaris beatissi-
mi qui fuit in hierapoli asie episcopus litteras. ad dominum. qui persecu-
tionis tempore ad iudeos declinaverat volumenque compo-
suit. et aliud de evangelio quod sub nomine petri fertur ad rosensem
cilicie ecclesiam. que in heresi eius lectione deverterat. leguntur
etiam sparsim breves eius epistole auctoris sui askesei
et vite congruentes. xlii

Apollonius rome urbis senator sub
comodo principe a servo proditus quod christianus esset impe-
trato ut rationem fidei sue redderet. brevi spacio in-
signe volumen composuit. quod in senatu legit. et nichilo-
minus sententia senatus pro christo capite truncatur. vetere
apud eos obtinente lege absque negatione non dimitti
christianos qui semel ad eorum iudicium pertracti essent.

Theophilus cesariensis palestine xliii
que olim turris stratonis vocabatur episcopus. sub severo princi-
pe adversum eos qui xiiii. luna cum iudeis pascha faciebant